

SYPHILIS, SIVE DE MORBO GALLICO,
AD PETRUM BEMBUM.

LIBER PRIMUS

S_1 v.1 Qui casus rerum varii, quae semina morbum
2 insuetum, nec longa ulli per saecula visum
3 attulerint : nostra qui tempestate per omnem
4 Europam, partimque Asiae, Libyaeque per urbes
5 saeviit : in Latium vero per tristia bellas
6 Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit :
7 necnon et quae cura, et opis quid comperit usus,
8 magnaque in angustis hominum solertia rebus,
9 et monstrata Deum auxilia, et data munera caeli,
10 hinc canere, et longe secretas quaerere causas
11 aera per liquidum, et vasti per sidera Olympi
12 incipiam : dulci quando novitatis amore
13 correptum, placidi Naturae suavibus horti
14 floribus invitant, et amantes mira Camenae.
15 Bembe decus clarum Ausoniae, si forte vacare
16 consultis Leo te a magnis paulisper, et alta
17 rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem :
18 et juvat ad dulces paulum secedere Musas :
19 ne nostros contemne orsus, medicumque laborem,
20 quicquid id est. Deus haec quondam dignatus Apollo est :
21 et parvis quoque rebus inest sua saepe voluptas.
22 Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum
23 Naturae, fatigue subest, et grandis origo.
24 Tu mihi, quae rerum causas, quae sidera noscis,
25 et caeli effectus varios, atque aeris oras,
26 Uranie, (sic dum puro spatiaris Olympo,
27 metirisque vagi lucentes aetheris ignes,
28 concentu tibi divino cita sidera plaudant)
29 ipsa ades, et mecum placidas Dea lude per umbras,
30 dum tenues aerae, dum myrtea silva canenti

31 aspirat, resonatque cavis Benacus ab antris.
32 Dic, Dea, quae causae nobis post saecula tanta
33 insolitam peperere luem ? Num tempore ab illo
34 vecta mari occiduo nostrum pervenit in orbem,
35 ex quo lecta manus solvens de litore Ibero
36 ausa fretum tentare, vagique incognita ponti est
37 aequora, et orbe alio positas perquirere terras ?
38 Illic namque ferunt aeterna labe per omnes
39 id morbi regnare urbes, passimque vagari
40 perpetuo caeli vitio, atque ignoscere paucis.
41 Commercine igitur causa accessisse putandum est
42 delatam contagem ad nos, quae parva sub ipsis
43 principiis, mox et vires et pabula sensim
44 suscipiens, sese in terras diffuderit omnes ?
45 Ut saepe in stipulas cecidit quum forte favilla
46 De face, neglectam pastor quam liquit in arvo,
47 illa quidem tenuis primum, similisque moranti
48 incedit : mox, ut paulatim increvit eundo,
49 tollitur, et victrix messem populatur et agros,
50 vicinumque nemus, flammisque sub aethera jactat.
51 Dat sonitum longe crepitans Jovis avia silva,
52 et caelum late circum, campique relucent.
53 At vero, si rite fidem observata merentur,
54 non ita censendum : nec certe credere par est
55 esse peregrinam nobis, transque aequora vectam
56 contagem : quoniam in primis ostendere multos
57 possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
58 sponte sua sensere luem, primique tulere.
59 Praeterea et tantum terrarum tempore parvo
60 contagem non una simul potuisset obire.
61 Aspice per Latii populos, quique herbida Sagrae
62 Pascua, et Ausonios saltus, et Iapygis orae
63 arva colunt : specta, Tiberis qua labitur, et qua
64 Eridanus centum fluviis comitatus in aequor,
65 centum urbes rigat, et placidis interfluit undis :
66 uno nonne vides ut tempore pestis in omnes
67 saeviit ? Ut sortem pariter transegimus unam ?
68 Quin etiam externos eadem per tempora primum
69 excepisse ferunt : nec eam cognovit Ibera
70 gens prius, ignotum quae scindere puppibus aequor
71 ausa fuit, quam quos disternat alta Pyrene,
72 atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusque bicornis :
73 quam reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
74 Tempore non alio, Poeni, sensistis, et omnes
75 qui laetam Aegyptum metitis, fecundaque Nilo
76 arva, et palmiferae silvas tondetis Idumes.
77 Quae quum sic habeant sese, nempe altius isti
78 principium labi, rerumque latentior ordo,
79 (ni fallor) graviorque subest, et major origo.
80 Principio quaeque in terris, quaeque aethere in alto
81 atque mari in magno Natura educit in auras,
82 cuncta quidem nec sorte una, nec legibus iisdem
83 proveniunt, sed enim, quorum primordia constant
84 e paucis, crebro ac passim pars magna creantur :
85 rarius ast alia apparent, et non nisi certis
86 temporibusve, locisve, quibus violentior ortus,

87 et longe sita principia : ac nonnulla priusquam
88 erumpant tenebris et opaco carcere noctis,
89 mille trahunt annos, spatiosaque saecula poscunt.
90 Tanta vi coeunt genitalia semina in unum.
91 Ergo et morborum quoniam non omnibus una
92 nascendi est ratio, facilis pars maxima visu est,
93 et faciles ortus habet, et primordia praesto.
94 Rarius emergunt alii, et post tempore longo
95 difficiles causas, et inextricabile fatum,
96 et sero potuere altas superare tenebras.
97 Sic elephas sacer Ausoniis incognitus oris,
98 sic lichen latuere diu, quibus incola Nili
99 gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
100 De genere hoc est dira lues, quae nuper in auras
101 exiit, et tandem sese caligine ab atra :
102 exemit, durosque ortus, et vincula rupit.
103 Quam tamen (aeternum quoniam dilabatur aevum)
104 non semel in terris visam, sed saepe fuisse,
105 ducendum est, quamquam nobis nec nomine nota
106 hactenus illa fuit : quoniam longaeva vetustas
107 cuncta situ involvens, et res, et nomina delet :
108 nec monumenta patrum seri videre nepotes.
109 Oceano tamen in magno sub sole cadente,
110 qua misera inventum nuper gens accolit orbem,
111 passim oritur, nullisque locis non cognita vulgo est.
112 Usque adeo rerum causae, atque exordia prima,
113 et caelo variare, et longo tempore possunt.
114 Quodque illic fert sponte aer, et idonea tellus,
115 huc tandem annorum nobis longa attulit aetas.
116 Cujus forte suo si cunctas ordine causas
117 nosse cupis, magni primum circumspice mundi
118 quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.
119 Quumque animadvertas tam vastae semina labis
120 esse nec in terrae gremio, nec in aequore posse,
121 haud dubie tecum statuas reputesque, necesse est,
122 principium, sedemque mali consistere in ipso
123 aere, qui terras circum diffunditur omnes,
124 qui nobis sese insinuat per corpora ubique,
125 suetus et has generi viventum immittere pestes.
126 Aer quippe pater rerum est, et originis auctor.
127 Idem saepe graves morbos mortalibus affert,
128 multimode natus tabescere corpore molli,
129 et facile affectus capere, atque inferre receptos.
130 Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit,
131 accipe : quid mutare queant labentia saecula.
132 In primis tum sol rutilus, tum sidera cuncta
133 tellurem, liquidasque auras, atque aequora ponti.
134 Immutant, agitantque : utque ipso sidera caelo.
135 Mutavere vicem, et sedes liquere priores,
136 sic elementa modis variis se grandia vertunt.
137 Aspice, ut, hibernus rapidos ubi flexit in Austrum
138 Phoebus equos, nostrumque videt depressior orbem,
139 bruma riget, duratque gelu, spargitque pruina
140 tellurem, et gelida glacie vaga flumina sistit.
141 Idem, ubi nos Cancro propior spectavit ab alto,
142 urit agros, arent nemora, et sitientia prata,

143 siccaque pulvereis aestas squallescit in arvis.
144 Nec dubium, quin et noctis nitor, aurea Luna,
145 cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor :
146 quin et Saturni grave sidus, et aequior orbi
147 stella Jovis : quin pulchra Venusque et Martius ignis,
148 ac reliqua astra etiam mutent elementa, trahantque
149 perpetuum, et late magnos dent undique motus :
150 praecipue sedem si quando plurima in unam
151 convenere, suo vel multum devia cursu
152 longe alias tenuere vias. Haec scilicet annis
153 pluribus, et rapidi post multa volumina caeli
154 eveniunt, diis fata modis volventibus istis.
155 Ut vero evenisse datum est, numerumque diesque
156 exegere suos, praefixaque tempora fatis,
157 proh quanta arios tractus, salsa aequora quanta,
158 telluremque manent : alibi quippe omnia late
159 cogentur spatia in nubes, caelum imbribus omne
160 solvetur, summisque voluti montibus amnes
161 praecipites secum silvas, secum aspera saxa,
162 secum armenta trahent : medius pater impete magno
163 aut Padus, aut Ganges super et nemora alta, domosque
164 turbidus, aequabit pelago freta lata sonante.
165 Aestates alibi magnae condentur, et ipsae
166 flumina speluncis flebunt arentia Nymphae.
167 Aut venti cuncta invertent, aut obice clausi
168 excutient tellurem imam, et cum turribus urbes.
169 Forsitan et tempus veniet, poscentibus olim
170 natura, fatisque Deum, cum non modo tellus
171 nunc culta, aut obducta mari, aut deserta jacebit,
172 verum etiam Sol ipse novum (quis credere possit ?)
173 curret iter, sua nec per tempora diffluet annus.
174 Ast insueti aestus, insuetaque frigora mundo
175 insurgent, et certa dies animalia terris
176 monstrabit nova, nascentur pecudesque feraeque
177 sponte sua, primaque animas ab origine sument.
178 Forsitan et majora audens producere tellus
179 Coeumque, Enceladumque feret ; magnumque Typhoea,
180 ausuros patrio superos detrudere caelo,
181 convulsumque Ossan nemoroso imponere Olympo.
182 Quae quum perspicias, nihil est, cur tempore certo ;
183 admirere novis magnum marcescere morbis,
184 aera, contagesque novas viventibus aegris :
185 sidere sub certo fieri, et per saecula longa.
186 Bis centum fluxere anni, cum flammea Marte
187 lumina Saturno tristi immiscente, per omnes
188 aurorae populos, per quae rigat aequora Ganges,
189 insolita exarsit febris, quae pectore anhelos
190 sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
191 quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
192 Illa eadem Assyriae gentes, et Persidos, et quae
193 Euphratem, Tigrimque bibunt, post tempore parvo
194 corripuit, ditesque Arabas, mollemque Canopum :
195 inde Phrygas, inde et miserum trans aequora vecta
196 infecit Latium, atque Europa saeviit omni.
197 Ergo age jam mecum, semper sese aethera circum
198 volventem, superumque domos, ardentiaque astra

199 contemplare, animumque agitans per cuncta, require,
200 quis status illorum fuerit, quae signa dedere
201 sidera, quid nostris caelum portenderit annis.
202 Hinc etenim tibi forte novae contagis origo
203 omnis, et eventus tanti via prima patescet.
204 Aspice, candentes magni qua Cancer olympi
205 excubat ante fores, et brachia pandit aperta.
206 Hinc dirae facies, hinc se diversa malorum
207 ostendent portenta : una hac sub parte videbis
208 Magna coisse simul radiis ardentibus astra,
209 et conjuratas sparsisse per aera flammis :
210 flammis, quas longe tumulo Sirenis ab alto
211 prospiciens senior vates, quem dia per omnes
212 caelicolumque domos duxit, docuitque futura
213 Uranie : "Miseras," inquit, "defendite terras,
214 o Superi, insolitam video per inania ferri
215 illuviem, et magnos caeli tabescere tractus.
216 Bella etiam Europae miserae, bella impia, et agros
217 Ausoniae passim currentes sanguine cerno."
218 Dixit, et illa etiam scriptis ventura notavit.
219 Mos superum est, ubi saecla vagus sol certa peregit,
220 ab Jove decerni fata, et cuncta ordine pandi,
221 quaecumque eventura manent terrasque, polumque.
222 Quod tempus quum jam nostris venientibus annis
223 instaret, rerum summus sator, et Superum Rex
224 Juppiter acciri socios in rebus agendis
225 Saturnum, Martemque jubet : bipotentia Cancer
226 limina portarum reserat, diisque atria pandit.
227 Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda.
228 Impiger ante alios flammis ferroque coruscans
229 bellipotens Mavors, animis cui proelia et arma,
230 vindictaeque manent, et ovantes sanguine caedes.
231 Post placidus curru invectus rex Juppiter aureo
232 insequitur (ni fata obstent) pater omnibus aequus.
233 Postremus, longaque via tardatus et annis,
234 falcifer accedit senior, qui haud immemor irae
235 in natum veteris, nato et parere recusans,
236 saepe etiam cessit retro, et vestigia torsit,
237 multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
238 Juppiter at solio ex alto, quo se solet uno
239 tollere, percenset fata, et ventura resolvit,
240 multum infelicis miserans incommoda terrae,
241 Bellaque, fortunasque virum, casuraque rerum
242 imperia, et praedas, adapertaque limina morti ;
243 in primis ignota novi contagia morbi :
244 morbi, qui humanae nulla mansuescat opis vi.
245 Assensere dei reliqui : concussus Olympus
246 intremuit, tactusque novis defluxibus aether.
247 Paulatim aerii tractus, et inania lata
248 accepere luem, vacuasque insuetus in auras
249 marcor iit, caelumque tulit contagia in omne.
250 Sive quod ardenti tot concurrentibus astris
251 cum sole, e pelago multos terraque vapores
252 traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris
253 correptique novo vitio, contagia visu
254 perrara attulerint : aliud sive aethere ab alto

255 demissum late aerias corruperit oras.
256 Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine caelum,
257 dicere, et in cunctis certas perquirere causas,
258 difficile esse : adeo interdum per tempora longa
259 effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
260 miscentur fors, et varii per singula casus.
261 Nunc age, non id te lateat, super omnia miram
262 naturam, et longe variam contagibus esse.
263 Solis nam saepe arboribus fit noxius aer,
264 et tenerum germen, florumque infecit honorem :
265 interdum segetem, et sata laeta, annique labores
266 corripuit, scabraque ussit rubigine culmos,
267 et vitiata parens produxit semina tellus.
268 Interdum poenas animalia sola dedere,
269 aut multa, aut certa ex ipsis. Memini ipse malignam
270 luxuriam vidisse anni, multoque madentem
271 autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
272 caprigenum genus e cunctis animantibus unum
273 corruit. A stabulis laetas ad pabula pastor
274 ducebat : tum forte, alta securus in umbra
275 dum caneret, tenuique gregem mulceret avena,
276 ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
277 nec longe mora mortis erat : namque acta repente
278 circum praecipiti lapsu, revomensque supremam
279 ore animam, socias inter moribunda cadebat.
280 Vere autem (dictu mirum) atque aestate sequenti
281 infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
282 pestis febre mala miserum paene abstulit omne.
283 Usque adeo varia affecti sunt semina caeli,
284 et variae rerum species, numerusque vicissim
285 inter mota subest, interque moventia certus.
286 Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelos
287 expositi mollesque magis, non attamen ipsos
288 carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
289 pulmonem ? Et pomis quamquam sit mollior uva,
290 non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva.
291 Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt :
292 ast alibi mora certa, nec ipsa foramina multum
293 non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.
294 Ergo contagum quoniam natura genusque
295 tam varium est, et multa modis sunt semina miris,
296 contemplator et hanc, cujus caelestis origo est :
297 quae, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
298 Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
299 non volucres, non bruta altis errantia silvis,
300 non armenta boum, pecudesve, armentave equorum
301 infecit, sed mente ingens ex omnibus unum
302 humanum genus, et nostros est pasta sub artus.
303 Porro homine e toto, quod in ipso sanguine crassum
304 et sordens lentore foret, foedissima primum
305 corripuit, sese pascens uligine pingui.
306 Tali se morbus ratione et sanguis habebant.
307 Nunc ego te affectus omnes, et signa docebo
308 contagis miserae : atque utinam concedere tantum
309 Musa queat, tantumque velit defendere Apollo,
310 tempora qui longa evolvit, cui carmina curae,

311 haec multas monumenta dies ut nostra supersint.
312 Forte etenim nostros olim legisse nepotes,
313 et signa, et faciem pestis novisse juvabit.
314 Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
315 tempus erit, quum nocte atra sopita jacebit
316 interitu data : mox iterum post saecula longa
317 illa eadem exurget, caelumque aurasque reviset,
318 atque iterum ventura illam mirabitur aetas.
319 In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
320 saepe tamen quater ipsa suum compleverat orbem
321 Luna prius, quam signa satis manifesta darentur.
322 Scilicet ex tempore non sese prodit aperte,
323 ut semel est excepta intus, sed tempore certo
324 delitet, et sensim vires per pabula captat.
325 Interea tamen insolito torpore gravati,
326 sponteque languentes animis et munera obibant
327 aegrius, et toto segnes se corpore agebant.
328 Ille etiam suus ex oculis vigor, et suus ore
329 dejectus color haud laeta de fronte cadebat.
330 Paulatim caries foedis enata pudendis
331 hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
332 Tum manifesta magis vitii se prodere signa.
333 Nam, simulac purae fugiens lux alma diei
334 cesserat, et noctis tristes induxerat umbras,
335 innatusque calor noctu petere intima suetus
336 liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
337 obsita mole pigra humorum, tum vellier artus,
338 brachiaque, scapulaeque, gravi, suraeque dolore.
339 Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
340 humoresque ipsos, et nutrimenta futura
341 polluerant, Natura malum secernere sueta
342 infectam partem pellebat corpore ab omni
343 exterius : verum crasso quia corpore tarda
344 haec erat, et lentore tenax, multa inter eundem
345 haerebat membris exanguibus, atque lacertis.
346 Inde graves dabat articulis extenta dolores.
347 Parte tamen leviore, magisque erumpere nata,
348 summa cutis pulsa, et membrorum extrema petebat.
349 Protinus informes totum per corpus achores
350 rumpebant, faciemque horrendam, et pectora foede
351 turpabant : species morbi nova : pustula summae
352 glandis ad effigiem, et pituita marcida pingui :
353 tempore quae multo non post ad aperta dehiscens,
354 mucosa multum sanie, taboque fluebat.
355 Quinetiam erodens alte, et se funditus abdens
356 corpora pascebat misere : nam saepius ipsi
357 carne sua exutos artus, squallentiaque ossa
358 vidimus, et foedo rosa ora dehiscere hiatu,
359 ora, atque exiles reddentia guttura voces.
360 Tum saepe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi,
361 vidisti pinguem ex udis manare liquorem
362 corticibus, mox in lentum durescere gummi.
363 Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
364 diffluere : hinc demum in turpem concrecere callum.
365 Unde aliquis ver aetatis, pulchramque juventam
366 suspirans, et membra oculis deformia torvis

367 prospiciens, foedosque artus, turgentiaque ora,
368 saepe Deos, saepe astra miser crudelia dixit.
369 Interea dulces somnos noctisque soporem
370 omnia per terras animalia fessa trahebant :
371 illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
372 fugerat : iis oriens ingrata Aurora rubebat :
373 iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
374 Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
375 munera : non dulces epulae, non copia rerum,
376 non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
377 quamvis saepe amnes nitidos, jucundaque tempe,
378 et placidas summis quaesissent montibus auras.
379 Diis etiam sparsaeque preces, incensaque templis
380 thura, et divitibus decorata altaria donis :
381 dii nullas audire preces, donisve moveri.
382 Ipse ego Cenomanum memini, qua pingua dives
383 pascua Sebina praeterfluit Ollius unda,
384 vidisse insignem juvenem, quo clarior alter
385 non fuit, Ausonia nec fortunatior omni :
386 vix pubescentis florebat vere juventae,
387 divitiis, proavisque potens ; et corpore pulchro :
388 cui studia aut pernicious equi compescere cursum,
389 aut galeam induere, et pictis splendescere in armis,
390 aut juvenile gravi corpus durare palaestra,
391 venatuque feras agere, et praevertere cervos :
392 illum omnes Ollique deae, Eridanique puellae
393 optarunt, nemorumque deae, rurisque puellae :
394 omnes optatos suspiravere hymenaeos.
395 Forsan et ultores superos neglecta vocavit
396 non nequicquam aliqua, et votis pia numina movit.
397 Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
398 invasit miserum labes, qua saevior usquam
399 nulla fuit, nulla umquam aliis spectabitur annis.
400 Paulatim ver id nitidum, flos ille juventae
401 disperit, vis illa animi : tum squallida tabes
402 artus (horrendum) miseros obduxit, et alte
403 grandia turgebant foedis abscessibus ossa.
404 Ulcera (proh divum pietatem) informia pulchros
405 pascebant oculos, et diae lucis amorem,
406 pascebantque acri corrosas vulnere nares.
407 Quo tandem infelix fato, post tempore parvo
408 aetheris invisas auras, lucemque reliquit.
409 Illum Alpes vicinae, illum vaga flumina flerunt.
410 Illum omnes Ollique deae, Eridanique puellae
411 fleverunt, nemorumque deae, rurisque puellae :
412 Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.
413 Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
414 pestem atrox, nec saeva minus crudelis et ipse
415 miscebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
416 Quippe lue hac nascente putem simul omnia diras
417 Eumenidas cecinisse fera et crudelia nobis.
418 Tartareos etiam Barathro (dira omina) ab imo
419 excivisse lacus, Stygiaque ab sede laborem,
420 pestemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.
421 Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine, tuque,
422 tu Latii Saturne pater, quid gens tua tantum

423 est merita ? An quicquam superest dirique gravisque,
424 quod sit inexhaustum nobis ? Ecquod genus usquam
425 aversum usque adeo caelum tulit ? Ipsa labores
426 Parthenope dic prima tuos, dic funera regum,
427 et spolia, et praedas, captivaeque colla tuorum.
428 An stragem infandam memorem, sparsumque cruorem
429 Gallorumque, Italumque pari discrimine, quum jam
430 sanguineum, et defuncta virum, defunctaque equorum
431 corpora volventem, cristasque atque arma trahentem
432 Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum ?
433 Te quoque spumantem, et nostrorum caede tumentem,
434 Abdua, non multo post tempore, te pater idem
435 Eridanus gremio infelix suscepit, et altum
436 indoluit tecum, et fluvio solatus amico est.
437 Ausonia infelix, en quo discordia priscam
438 virtutem, et mundi imperium perduxit avitum !
439 Angulus anne tui est aliquis, qui barbara non sit
440 servitia, et praedas, et tristia funera passus ?
441 Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
442 vitiferi colles, qua flumine pulcher amoeno
443 Erethenus fluit, et plenis lapsurus in aequor
444 cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.
445 O patria, o longum felix, longumque quieta
446 ante alias, patria o divum sanctissima tellus,
447 dives opum, fecunda viris, laetissima campis
448 uberibus, rapidoque Athesi, et Benacide lymphae,
449 aerumnas memorare tuas, summamque malorum
450 quis queat ? Et dictis nostros aequare dolores,
451 et turpes ignominias, et barbara jussa ?
452 Abde caput, Benace, tuo et te conde sub amne,
453 victrices nec jam Deus interlabere lauros.
454 En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
455 nec lachrymae, planctusve forent, en dura tot inter
456 spes Latii : spes et studiorum, et Palladis illa
457 occidit : ereptum Musarum e dulcibus ulnis
458 te miserum ante diem crudeli funere Marce
459 Antoni, aetatis primo sub flore cadentem
460 vidimus extrema positum Benacide ripa,
461 quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.
462 Te ripae flevere Athesis, te voce vocare
463 audita per noctem umbrae, manesque Catulli,
464 et patrios mulcere nova dulcedine lucos.
465 Tempestate illa Ausoniam Rex Gallus opimam
466 vertebat bello, et Ligurem ditione premebat.
467 Parte alia, Caesar ferro superabat et igni
468 Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem :
469 et totum luctus Latium, maerorque tenebat.

LIBER SECUNDUS

S_2 v.1 Nunc age, quae vitae ratio, quae cura adhibenda
2 perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
3 conveniat (nostri quae pars est altera coepti)
4 expediam, et miranda hominum comperta docebo
5 quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
6 tentassent, tamen angustis solertia major
7 in rebus, crescensque usu experientia longo
8 evicere : datumque homini protendere longe
9 auxilia, et certis pestem compescere vinclis,
10 victorem et sese claras attollere in auras.
11 Credo equidem et quaedam nobis divinitus esse
12 inventa, ignaros fati ducentibus ipsis.
13 Nam, quamquam fera tempestas, et iniqua fuerunt
14 sidera, non tamen omnino praesentia Divum
15 abfuit a nobis, placidi et clementia caeli.
16 Si morbum insolitum, si dura et tristia bella
17 vidimus, et sparsos dominorum caede penates,
18 oppidaque, incensasque urbes, subversaue regna,
19 et templa, et raptis temerata altaria sacris :
20 flumina dejectas si perrumpentia ripas
21 evertere sata, et mediis nemora eruta in undis,
22 et pecora, et domini, correptaue rura natarunt :
23 obseditque inimica ipsas penuria terras :
24 haec eadem tamen, haec aetas (quod fata negarunt
25 antiquis) totum potuit sulcare carinis
26 id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.
27 Nec visum satis extremo ex Atlante repostos
28 Hesperidum penetrare sinus, Prassumque sub Arcto
29 inspectare alia, praeruptaque litora Rhapti,
30 atque Arabo advehere, et Carmano ex aequore merces,
31 Aurorae sed itum in populos Titanidis usque est
32 supra Indum, Gangemque supra, qua terminus olim
33 Catygare noti orbis erat : superata Cyambe,
34 et dites ebena, et felices macere silvae.
35 Denique et a nostro diversum gentibus orbem,
36 diversum caelo, et clarum majoribus astris
37 remigio audaci attigimus ducentibus et Diis.
38 Vidimus et vatem egregium, cui pulchra canenti
39 Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
40 plauserunt, umbraeque sacri manesque Maronis,
41 qui magnos stellarum orbis cantavit, et hortos
42 Hesperidum, caelique omnes variabilis oras.
43 Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
44 post mutos cineres, quos et venientia saecula
45 antiquis conferre volent, at Bembe tacendus
46 inter dona Deum nobis data non erit umquam
47 magnanimus Leo, quo Latium, quo maxima Roma
48 attollit caput alta, paterque ex aggere Tibris
49 assurgit, Romaeque fremens gratatur ovanti.
50 Cujus ab auspiciis jam nunc mala sidera mundo

51 cessere, et laeto regnat jam Juppiter orbe,
52 puraque pacatum diffundit lumina caelum.
53 Unus, qui aerumnas post tot, longosque labores
54 dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas,
55 et leges Latio antiquas, rectumque, piumque
56 restituit : qui justa animo jam concipit arma
57 pro re Romana, pro religione deorum.
58 Unde etiam Euphrates, etiam late ostia Nili,
59 et tantum Euxini nomen tremit unda refusi,
60 atque Aegaea suos confugit Doris in Isthmos.
61 Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
62 inclyta component, dum forte accingeris et tu
63 condere, et aeternis victurum intexere chartis,
64 nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
65 inceptos, quantum tenuis fert Musa, sequamur.
66 Principio, quoniam affecti non sanguinis una
67 est ratio, tibi sit morbo spes major in illo,
68 sanguine qui insedit puro : verum, quibus atra
69 bile tument, spissoque resultant sanguine venae,
70 major in iis labor est, pestisque tenacius haeret.
71 Quare operae pretium est validis atque acribus uti
72 omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
73 Quin etiam meliora sibi promittere cuncta
74 ille potest, qui principiis novisse sub ipsis
75 serpentem tacite valuit per viscera labem.
76 Namque, ubi pasta diu, vires per pabula longa
77 auxerit, et jam se vitium firmaverit intra,
78 Heu quanto tibi libertas speranda labore est.
79 Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
80 principiis, memorique animo haec precepta reconde.
81 In primis ego non omni te assuescere caelo
82 exhorter : fuge, perpetuo quod flatur ab Austro,
83 quod caeno, immundaeque grave est sudore paludis.
84 Protenti potius campi mihi liber et agri
85 tractus, et apricis placeant in collibus aurae,
86 et molles Zephyri, pulsusque Aquilonibus aer.
87 Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunt.
88 Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros
89 impiger, assiduis agita venatibus ursos.
90 Nec tibi sit labor aerii cursu ardua montis
91 Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,
92 et longa lustrare altos indagine saltus.
93 Vidi ego saepe malum, qui jam sudoribus omne
94 finisset, silvisque luem liquisset in altis.
95 Sed nec turpe puta dextram summittere aratro,
96 et longum trahere incurvo sub vomere sulcum :
97 neve bidente solum, et duras proscindere glebas,
98 et valida aeriam quercum exturbare bipenni,
99 atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
100 Quin etiam, exercere domi quo te quoque possis,
101 parvam mane pilam versa mihi, vespere versa,
102 et saltu, et dura potes exsudare palaestra.
103 Vince malum : nec te fallat, quod desidis oti
104 assidue desiderium, lectique sequetur.
105 Tu lecto ne crede, gravi ne crede sopori.
106 His alitur vitium, et placidae sub imagine pacis

107 decipit, e dulcique trahit fomenta quiete.
108 Necnon interea effugito, quae tristia mentem
109 sollicitant : procul esse jube curasque, metumque
110 pallentem, ultricesque iras, omnemque Minervae
111 addictum studiis animum, sed carmina, sed te
112 delectent juvenumque chori, mixtaeque puellae.
113 Parce tamen Veneri, mollesque ante omnia vita
114 concubitus, nihil est nocuum magis : odit et ipsa
115 pulchra Venus, tenerae contagem odere puellae.
116 Quod sequitur, victus ratio tibi maxima habenda est :
117 nec sit cura tibi, neve observantia major.
118 Principio, quoscumque amnes, quoscumque paludes,
119 quosque lacus liquidi pascunt, quosque aequora, pisces
120 omne genus procul amoveo. Sunt, quos tamen usus
121 liberius, quum res cogit, concedere possit.
122 Omnibus his est alba caro, non dura, tenaxque,
123 quos petrae et fluviorum adversa marisque fatigant.
124 Tales nant pelago phycides, rutilaeque per undas :
125 auratae, gobiique, et amantes saxea percae.
126 Talis dulcifluum fluviorum scarus ad ora
127 solus saxa inter depastas ruminat herbas.
128 Sed neque, quae stagnis volucres, quaeque amnibus altis
129 degere amant, liquidisque cibum perquirere in undis,
130 laudarim : tibi pinguis anas, tibi crudior anser
131 vitetur, potiusque vigil Capitolia servet :
132 viteturque gravi coturnix tarda sagina.
133 Tu teneros lactes, tu pandae abdomina porcae,
134 porcae heu terga fuge, et lumbis ne vescere aprinis,
135 venatu quamvis toties confeceris apros.
136 Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent,
137 neve famem cinara, bulbisve salacibus exple.
138 Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,
139 non fumosa mero spumantia pocula Baccho,
140 qualia Cyrnaei colles, campique Falerni,
141 et Pucinus ager mittunt : aut qualia nostris
142 Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
143 Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus
144 quae tulit, et multo domuerunt Naiades amne.
145 At, tibi si ex horto victus, mensaeque deorum
146 sunt animo, atque olerum simplex et inempta voluptas,
147 non mentae virides, non laeta sisymbria desunt,
148 intybaque, et toto florentes frigore sonchi,
149 et sia fontanis semper gaudentia rivis,
150 et thymbrae suaves, et odoriferae calaminthae :
151 laeta melisphylla, et riguo buglossus ab horto
152 carpantur, plenisque ferax erucula palmis,
153 atque olus, atque rumex, et salsi gramina crithmi.
154 Ipsa lupum dumeta ferent : hinc collige primos
155 asparagos, albae asparagos hinc collige vitis,
156 quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum
157 texuit, et virides jussit pendere corymbos.
158 Singula sed longum est, nec percensere necesse.
159 Jamque aliud vocor ad munus, juvat in nova Musas
160 naturae nemora Aoniis deducere ab umbris :
161 unde mihi si non e lauro intexere fronti
162serta volent, tantaque caput cinxisse corona,

163 at saltem ob servata hominum tot millia, dignum
164 censuerint querna redimiri tempora fronde.
165 Vere novo, si quem morbus tenet, aut et in ipso
166 autumno, si firma aetas, si sanguis abundat,
167 regalem, mediamve lacerti incidere venam
168 proderit, atque extra foedatum haurire cruorem.
169 Praeterea, quocumque habeat te tempore pestis,
170 corruptum humorem, et contagem educere turpem
171 ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo :
172 ante tamen ducenda para : concreta resolve,
173 et crassa attenua, et lentore tenacia frange.
174 Ergo Coryciumque thymum sit cura, thymumque
175 Pamphylium, thymbrae similis qui durior exit,
176 prima tibi coxisse, lupique volubile gramen,
177 feniculumque, apiumque, et amari germina capni.
178 His polyporum hirtos imitata filicula cirros
179 additur, et lymphis tangi renuens adiantus :
180 his sterile asplenium, his pictam phyllitida jungere :
181 quorum ubi decoctum permultis ante diebus
182 ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
183 tum scilla medicare acri, et colocynthide amara,
184 helleboroque gravi, necnon quae in litore surgens,
185 qua ludit maris unda, ter evariata colorem,
186 ter flores mutata die rem nomine signat,
187 herba potens radice, suum cui zingiber adde :
188 adde etiam anguineum cucumin, Nabathaeaque thura,
189 myrrhamque, bdellamque, ammoniacique liquorem,
190 et lachrymam panaceam, et dulci colchica bulbo.
191 His actis, si forte tibi frigentia corda,
192 et molles animi fuerint, nec acerba placebit
193 in primis tentare, brevisque extinguere pestem,
194 sed placidis agere, et per tempora lenibus uti,
195 tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
196 vertere, contagisque ad tenuia semina caecae,
197 illa quidem consueta modis inserpere miris.
198 Profuerint igitur, quaeque exsiccantia, quaeque
199 marcori resinosa solent obsistere putri.
200 Tales sunt myrrhae lachrymae, sunt talia thura,
201 cedrusque, aspalathusque, immortalisque cupressus,
202 et bene cum calamo spirans redolente cyperus.
203 Ergo nec desint casiae, nec desit amomum,
204 macerve, aggalocumve tibi, nec cinnama odora.
205 Est etiam in pratis illud, iuxtaque paludes
206 scordion, omnigenis quod tantum obstare venenis,
207 contagique solet, parvo quaerenda labore
208 herba tibi : viret ipsa comis imitata chamaedryn,
209 flore rubens, referensque alli cum voce saporem.
210 Aurora nascente hujus frondemque comantem
211 radicesque coque, atque haustu te prolue largo.
212 Sed neque carminibus neglecta silebere nostris
213 Hesperidum decus, et Medarum gloria citre
214 silvarum : si forte sacris cantata poetis
215 parte quoque hac medicam non dedignabere Musam.
216 Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,
217 semper flore novo redolens : sis semper onusta
218 per viridem pomis silvam pendentibus aureis.

219 Ergo, ubi nitendum est caecis te opponere morbi
220 seminibus, vi mira arbor Cythereia praestat.
221 Quippe illam Citherea, suum dum plorat Adonim
222 munere donavit multo, et virtutibus auxit.
223 Quorundam inventum est, vitrei intra concava vasis,
224 cui collum oblongum est venter turgescit in orbem,
225 aut hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
226 dictamni, Illyricamve irim, thamnive nigrantem
227 radicem, aut inulas coquere : in sublime solutus
228 effertur vapor, et tenuis vacua omnia complet :
229 ast, ubi frigenti occursavit ab aere vitro,
230 cogitur, et rorem liquidus densatur in udum,
231 decurritque vagis per aperta canalia rivis.
232 Destillantis aquae cyathum sub lumina prima
233 Luciferi potare jubent, stratisque parare
234 sudorem : nec certe ab re : vis utilis olli est,
235 relliquias morbi tenues dispergere in auras.
236 Interea, si membra dolor convulsa malignus
237 torqueat, oesypo propera lenire dolorem,
238 mastichinoque oleo : lentum quibus anseris unguen,
239 emulsumque potes lini de semine mucum,
240 narcissumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
241 Coryciumque crocum et vilem componere amurcam.
242 At, fauces atque ora malus si eroserit herpes,
243 tange nitro, et viridi medicata aerugine lymphæ :
244 semina inure mala, et serpentem interfice pestem.
245 Verum ipsos ope non alia consumere achores,
246 urentum quam vi, poteris, quibus addere debes
247 pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
248 Haec eadem, et miseros artus si qua ulcera pascunt,
249 tollere, concretosque valebunt solvere callos.
250 Si vero aut haec nequicquam tentasse videbis,
251 aut vires animique valent ad fortia quaeque,
252 nec differre cupis, quin te committere acerbis
253 festines, diramque brevi consumere pestem,
254 hinc alia inventa expediam, quae tristia quanto
255 sunt magis, hoc tanto citius finire labores,
256 aerumnasque mali poterunt : quippe efferæ labes
257 inter prima tenax, et multo fomite vivax
258 nedum se haud vinci placidis et mitibus, at nec
259 tractari sinit, et mansuescere dura repugnat.
260 Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimque,
261 et minium, et stimmi agglomerant, et thura minuta,
262 quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
263 absumuntque luem miseram, et contagia dira.
264 At vero et partim durum est medicamen et acre,
265 partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis
266 spiritus, eluctansque animam vix continet aegram.
267 Quo circa totum ad corpus nemo audeat uti
268 iudice me : certis fortasse erit utile membris,
269 quae papulae informes, Chironiaque ulcera pascunt.
270 Argento melius persolvunt omnia vivo
271 pars major : miranda etenim vis insita in illo est :
272 sive quod id natum est subito frigusque caloremque
273 excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,
274 quodque est condensum, humores dissolvit, agitque

275 fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit :
276 sive acres, unde id constat compagine mira,
277 particulae nexuque suo vinclisque solutae
278 introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri,
279 colliqueant concreta, et semina pestis inurunt.
280 Sive aliam vim fata illi, et natura dedere.
281 Cujus et inventum medicamen munere divum
282 digressus referam. Quis enim admiranda deorum
283 munera praetereat ? Syriae nam forte sub altis
284 vallibus, umbrosi nemora inter glauca salicti,
285 Callirhoe qua fonte sonans decurrit amoeno,
286 fama est cultorem diis sacri agrestibus horti,
287 cultorem nemorum, sectatoremque ferarum,
288 Ilcea labe gravem tanta, dum molle cyperum,
289 et casiam, et silvam late fragrantis amomi
290 irrigat, haec orasse deos, et talia fatum.
291 "Dii, quos ipse diu colui, tuque optima tristes
292 Callirhoe, quae sancta soles depellere morbos,
293 cui nuper ramosa ferens ego cornua cervi
294 aerea victor fixi capita horrida quercu :
295 Dii mihi crudelem misero si tollere pestem
296 hanc dabitis, quae me afflictat noctesque diesque,
297 ipse ego purpureas, ipse albas veris et horti
298 primitias, vobis violas, ego lilia vobis
299 alba legam, primasque rosas, primosque hiacynthos,
300 vestraque odoratis onerabo altaria sertis."
301 Gramen erat juxta viridans ; sic fatus, ut aestu
302 fessus erat, viridi desedit graminis herba.
303 Hic Dea, vicino quae sese fonte lavabat,
304 Callirhoe liquido ex antro per lubrica musco
305 saxa fluens, juveni dulci blandita susurro,
306 Lethaeum immisit somnum, sparsitque sopore
307 graminea in ripa, et salicum nemus inter opacum :
308 atque illi visa est sacro se flumine tollens
309 in somnis coram esse, pia et sic voce locuta :
310 "Ilceu in extremo Diis tandem audite labore,
311 cura mei, tibi nulla salus, quaecumque videt Sol,
312 speranda est terram magnam super. Hoc tibi poenae
313 dat Trivia, et precibus Triviae exoratus Apollo,
314 ob sacrum jaculo percussus ad flumina cervum,
315 et nostris affixa tibi capita horrida truncis.
316 Nam, postquam illa feram exanimem per gramina vidit
317 abscisso capite, et sacro sparsa arva cruore,
318 omnibus ingemuit silvis, dirumque precata est
319 auctori. Oranti Latous tanta sorori
320 affuit, et pestem misero immisere nefandam
321 durus uterque tibi : quin et, quacumque videt Sol,
322 interdixit opem : quare tellure sub ima,
323 si qua salus superest, caeca sub nocte petenda est.
324 Est specus arboribus tectum, atque horrore verendum
325 vicina sub rupe, Jovis qua plurima silva
326 accubat, et raucum reddit coma cedria murmur.
327 Huc, ubi se primis aurora emittet ab undis,
328 ire para, et nigramtem ipsis in faucibus agnam
329 mactato supplex, atque, "Ops tibi maxima," dic, "hanc,"
330 dic, "ferio." Nigram tum Noctem, umbrasque silentes,

331 umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas
332 et Thia venerare, atrae et nidore Cupressi.
333 Hic tibi narranti causam, auxiliumque vocanti
334 haud aberit Dea, quae caecae in penetralia terrae
335 deducat te sancta, et opem tibi sedula praestet.
336 Surge age, nec vani speciem tibi concipe somni.
337 Illa ego sum, quae culta vago per pinguia fonte
338 dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis."
339 Sic ait, et se caeruleo cita condidit amne.
340 Ille autem, ut placidus cessit sopor, omina laetus
341 accipit, et Nympham precibus veneratur amicam.
342 "O sequor, o quocumque vocas pulcherrima fontis
343 vicini dea Callirhoe." Tum postera primum
344 exurgens aurora, suos ubi protulit ortus,
345 monstratum Jovis in silva sub rupibus altis
346 antrum ingens petit, et nigrantem tergora primo
347 vestibulo sistit pecudem, magnaеque trementem
348 mactat Opi : "Tibique," inquit, "ego hanc Ops maxima macto."
349 Tum Noctem, Noctisque deas, ignota precatur
350 numina. Jamque simul Thian, atramque cupressum
351 urebat, quum vox terrae revoluta cavernis
352 longe audita sacras Nympharum perculit aures :
353 Nympharum, quibus aera solo sunt condita curae.
354 Extemplo commotae omnes, ac coepta reponunt,
355 sulphureos forte ut latices, et flumina vivi
356 argenti, mox, unde nitens concreceret aurum,
357 tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
358 Centum ignis spissi radios, centum aetheris usti,
359 bis centum concretorum terraeque marisque
360 miscuerant, nostros fugientia semina visus.
361 At Lipare, Lipare, argenti cui semina et auri
362 cura data, et sacrum flammis adolere bitumen,
363 continuo obscurae latebrosa per avia terrae
364 Ilcea adit, firmansque animum sic incipit ipsa :
365 "Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labes
366 ignota est, nec, quid venias) jam corde timorem
367 exue, nequicquam non te huc carissima mittit
368 Callirhoe : tibi parta salus tellure sub ima est.
369 Tolle animos, et me per opaca silentia terrae
370 insequere : ipsa adero, et praesenti numine ducam."
371 Sic ait, et se antro gradiens praemittit opaco.
372 Ille subit, magnos terrae miratus hiatus,
373 squalientesque situ aeterno, et sine lumine vastas
374 speluncas, terramque meantia flumina subter.
375 Tum Lipare : "Hoc quodcumque patet, quam maxima terra est :
376 hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti,
377 dii habitant : imas retinet Proserpina sedes,
378 flumina supremas, quae sacris concita ab antris
379 in mare per latas abeunt resonantia terras.
380 In medio dites Nymphae, genera unde metalli,
381 aerisque, argentique, aurique nitentis origo :
382 quarum ego nunc ad te miserans ipsa una sororum
383 advenio, illa ego, quae venas per montis hiantes,
384 Callirhoe haud ignota tuae, fumantia mitto
385 sulphura." Sic ibant terra et caligine tecti.
386 Jamque exaudiri crepitantes sulphure flammae,

387 conclusique ignes, stridentiaque aera caminis.
388 "Haec regio est late, variis ubi feta metallis,"
389 virgo ait, "est tellus : quorum vos tanta cupido
390 exercet, superas caeli qui cernitis auras.
391 Haec loca mille deae caecis habitamus in antris,
392 Nocte deae et Tellure satae, quis munera mille,
393 mille artes. Studium est aliis deducere rivos,
394 scintillas aliis rimari, et sparsa per omnem
395 semina tellurem flammaram, ignisque corusci.
396 Materiam miscent aliae, massamque coercent
397 obicibus, multa et gelidarum inspergine aquarum.
398 Non procul eruptis fumantia tecta caminis
399 Aetnaei Cyclopes habent, versantque coquantque
400 Vulcano stridente, atque aera sonantia cudunt.
401 Laeva haec abstrusum per iter via ducit ad illos.
402 Dexteram sed sacri fluvii te sistet ad undam,
403 argento fluitantem undam, vivoque metallo,
404 unde salus speranda." Et jam aurea tecta subibant,
405 rorantesque domos spodiis, fuligineque atra
406 speluncas varie obductas, et sulphure glauco.
407 Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
408 argento juxta astabant, ripasquetenebant.
409 "Hic tibi tantorum requies inventa laborum,"
410 subsequitur Lipare, "postquam ter flumine vivo
411 perfusus, sacra vitium omne reliqueris unda."
412 Sic fatur, simul argenti ter fonte salubri
413 perfundit, ter virginis dat flumina palmis
414 membra super, juvenem toto ter corpore lustrat
415 mirantem exuvias turpes, et labe maligna
416 exutos artus, pestemque sub amne relictam.
417 "Ergo age, quum primum caeli te purior aer
418 accipiet, nitidamque diem, solemque videbis,
419 sacra para, et castam supplex venerare Dianam,
420 indigenasque Deos, et numina fontis amici."
421 Sic virgo, et juvenem tanto pro munere grates
422 solventem e nocte aetherias educit in oras,
423 dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
424 Accepit nova fama fidem, populosque per omnes
425 prodiit haud fallax medicamen : coeptaque primum
426 misceri argento fluitanti axungia porcae.
427 Mox etiam Oriciae simul adjuncta est terebinthi,
428 et laricis resina aerae. Sunt, qui ungen equinum
429 ursinumve adhibent, bdellae, cedrique liquorem.
430 Nonnulli et myrrhae guttas, et mascula thura
431 adjiciunt, miniumque rubens, et sulphura viva.
432 Haud vero mihi displiceat, componere si quem
433 trita melampodia, atque arentem juverit irim,
434 galbanaque, et lasser grave olens, oleumque salubre
435 lentisci, atque oleum haud experti sulphuris ignem.
436 His igitur totum oblinere, atque obducere corpus
437 ne obscaenum, ne turpe puta : per talia morbus
438 tollitur, et nihil esse potest obscaenius ipso.
439 Parce tamen capiti, et praecordia mollia vita.
440 Tum super et vittas astringe, et stuppea nocte
441 vellera : dein stratis tegmento imponere multo,
442 dum sudes, foedaeque fluant per corpora guttae.

443 Haec tibi bis quinis satis est iterasse diebus.
444 Durum erit : at quicquid tulerit res ipsa, ferendum est.
445 Aude animis. Tibi certa salus stans limine in ipso
446 signa dabit : liquefacta mali excrementa videbis
447 assidue sputo immundo fluitare per ora,
448 et largum ante pedes tibi mirabere flumen.
449 Ora tamen foeda erodent ulcuscula : sed tu
450 lacte fove, et cocto cytini, viridisque ligustri.
451 Tempore non alio generosi pocula Bacchi
452 annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,
453 et Chia, et pateris spumantia Rhetica largis.
454 Sed jam age vicinae victor gratare saluti :
455 ultima adest tibi cura, eadem et placidissima, corpus
456 abluere, et lustrare artus, ac membra piare
457 stoechade, amaracinisque comis, et rore marino,
458 verbenaque sacra, et bene olentibus heracleis.

LIBER TERTIUS

S_3 v.1 Sed jam me nemora alterius felicia mundi,
2 externique vocant saltus : longe assonat aequor
3 Herculeas ultra metas, et litora longe
4 applaudunt semota. Mihi nunc magna deorum
5 munera, et ignoto devecta ex orbe canenda,
6 Sancta arbos, quae sola modum, requiemque dolori,
7 et finem dedit aerumnis. Age diva beatum
8 Uranie venerare nemus, crinesque revinctam
9 fronde nova, juvet in medica procedere palla
10 per Latium, et sanctos populis ostendere ramos :
11 et juvet haud umquam nostrorum aetate parentum
12 visa prius, nullive umquam memorata referre.
13 Unde aliquis forsitan novitatis imagine mira
14 captus, et heroas, et grandia dicere facta
15 assuetus, canat auspiciis majoribus ausas
16 Oceani intacti tentare pericula puppes.
17 Nec non et terras varias, et flumina, et urbes,
18 et varias memoret gentes, et monstra reperta :
19 dimensasque plagas, alioque orientia caelo
20 sidera, et insignem stellis majoribus Arcton.
21 Nec taceat nova bella, omnemque illata per orbem
22 signa novum, et positas leges, et nomina nostra.
23 Et canat (auditum quod vix venientia credant
24 saecula) quodcumque Oceani complectitur aequor
25 ingens, omne, una obitum mensumque carina.
26 Felix, cui tantum dederit Deus. At mihi vires
27 arboris unius satis est, usumque referre :
28 et quo inventa modo fuerit, nostrasque sub auras
29 advena per tantum pelagi pervenerit aequor.

30 Oceano in magno, ardenti sub sidere Cancri,
31 Sol ubi se nobis media jam nocte recondit,
32 hac ignota tenus, tractu jacet insula longo ;
33 Hispanam gens inventrix cognomine dixit :
34 auri terra ferax ; sed longe ditior una
35 arbore, voce vocant patrii sermonis Hyacum.
36 Ipsa teres, ingensque ingentem vertice ab alto
37 diffundit semper viridem, semperque comantem
38 arbuteis silvam foliis : nux parva, sed acris,
39 dependet ramis, et plurima frondibus haeret.
40 Materia indomita est, duro et paene aemula ferro
41 roborata, quae resinam sudant incensa tenacem.
42 Dissectae color haud simplex. In cortice lauri
43 exteriori viret levor : pars altera pallet
44 buxea : at interior nigro suffusca colore est,
45 juglandemque, ebumque inter. Quod si inde ruberet,
46 jam poterat variis aequare coloribus irim.
47 Hanc gens illa colit, studioque educere multo
48 nititur : hac late colles campique patentem,
49 hac omnis vestitur ager : nec sanctius illis
50 est quicquam, aut potiore usu : quippe omnis in illa
51 spes jacet hanc contra pestem, quae caelitus illic
52 perpetua est. Validos abjecto cortice ramos
53 multa vi tundunt, aut in segmenta minuta
54 elimant, puroque scobes in fonte reponunt,
55 Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.
56 Inde coquunt : nec non illos ea cura fatigat,
57 Vulcano ne forte furens erumpat aquae vis,
58 et superundantem spumam projectet in ignes.
59 Spuma quippe linunt, si quicquam e corpore toto
60 abscedit, si quicquam aegros depascitur artus.
61 Dimidia absumpta, superest quodcumque, reponunt,
62 divini laticis. Quin et segmenta relicta
63 rursus, ut ante, coquunt, addentes suave liquens mel.
64 Scilicet hunc unum mensis accedere potum
65 et lex ipsa jubet gentis, mandatque sacerdos.
66 Servatum at laticem, et decocti pocula primi
67 bina die quaque assumunt, quum surgit ab ortu
68 Lucifer, et sero egreditur quum Vesper Olympo.
69 Nec prius absistunt potu, quam menstrua cursum
70 Luna suum, et totum peragrans perfecit orbem,
71 fraternasque iterum convenerit aemula bigas.
72 Interea caecis sese penetralibus abdunt,
73 quo neque vis venti, non halitus aeris ullus
74 insinuet sese, et gelidis afflatibus obsit.
75 Quid mirandum aequae memorem super omnia victum
76 quam tenuem, quam magna sibi jejunia poscant ?
77 Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur :
78 dum superet vita, et tantum ne membra fatiscent.
79 Ne tamen ah ne tanta time, sacer ilicet haustus
80 ille modo ambrosiae, vires reficitque fovetque,
81 inque occulta gerit jejunis pabula membris.
82 Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
83 imponunt sese stratis, medicamen ut intro
84 large eat, et calido sudorem e corpore ducat.
85 Interea vacuas pestis vanescit in auras :

86 et (dictu mirum) apparet jam pustula nulla :
87 jamque nomae cessere omnes, jam fortia liquit
88 membra dolor, primoque redit cum flore juventa :
89 et jam Luna suum remeans nova circuit orbem.
90 Quis Deus hos illis populis monstraverit usus :
91 qui demum et nobis casus, aut fata tulere
92 hos ipsos : unde et sacrae data copia silvae,
93 nunc referam. Missae quaesitum abscondita Nerei
94 aequora, in occasum Solisque cubilia, pinus,
95 litoribus longe patriis, Calpeque relictis,
96 ibant Oceano in magno, pontumque secabant,
97 ignaraeque viae, et longis erroribus actae.
98 Quas circum innumerae properantes gurgite ab omni
99 ignoti nova monstra maris Nereides udae
100 adnabant, celsas miratae currere puppes,
101 salsa super pictis volitantes aequora velis.
102 Nox erat, et puro fulgebat ab aethere Luna,
103 lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
104 magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
105 delectus, dux errantis per caerula classis ;
106 "Luna", ait, "o pelagi cui regna haec humida parent,
107 quae bis ab aurata curvasti cornua fronte,
108 curva bis explesti, nobis errantibus ex quo
109 non ulla apparet tellus, da litora tandem
110 aspicere, et dudum speratos tangere portus,
111 noctis honos, caelique decus Latonia virgo."
112 Audiit orantem Phoebe, delapsaque ab alto
113 aethere, se in faciem mutat, Nereia quali
114 Cymothoe, Clothoque natant, juxtaque carinam
115 astitit, et summo pariter nans aequore fatur :
116 "Ne nostrae dubitate rates, lux crastina terras
117 ostendet, fidoque dabit succedere portu.
118 Sed vos litoribus primis ne insistite : dudum
119 ultra fata vocant. Medio magna insula ponto
120 est Ophire, huc iter est vobis, hic debita sedes
121 imperiique caput." Simul haec effata, carinam
122 impulit : illa levi cita dissecat aequora cursu.
123 Aspirant faciles aurae, et jam clarus ab undis
124 surgebat Titan, humiles quum surgere colles
125 umbrosi procul, et propior jam terra videri
126 incipit. Acclamant nautae, terramque salutant,
127 terram exoptatam. Tum portu et litore amico
128 excepti, diis vota piis in litore solvunt :
129 quassatasque rates, defessaque corpora curant.
130 Inde, ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit
131 vela Notus, remis insurgitur, altaque rursus
132 corripiunt maria, et laeti freta caerula sulcant.
133 Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
134 atque Hagia, atque alta Ammerie, exsecrataque tellus
135 cannibalum, et ripa Gyane nemorosa virenti.
136 Protinus innumerae panduntur turribus altis
137 insulae Oceano in vasto, quas inter opacis
138 undantem silvis unam, cursuque sonantem
139 fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alveo
140 in mare fulgentes auro subvectat arenas.
141 Hujus in ora placet pronas appellere puppes.

142 Invitant nemora, et dulces e flumine lymphae.
143 Jamque solo viridante alacres, ripaque potiti
144 in primis terram ignotam, Nymphasque salutant
145 indigenas, Geniumque loci, teque, aurifer amnis,
146 quisquis in ora maris nitida perlaberis unda.
147 Tum duram Cererem, et patrii carchesia Bacchi
148 aggere in herboso expediunt : dein quaerere si qui
149 mortales habitent : pars fulvam fluminis undam
150 mirari, mixtamque auro disquirere arenam.
151 Forte per umbrosos silvarum plurima ramos
152 assidue volitabat avis, quae picta nitentes
153 caeruleo pennas, rostro variata rubenti,
154 ibat nativo secura per avia luco.
155 Has juvenum manus ut silvas videre per altas,
156 continuo cava terrificis horrentia bombis
157 aera, et flammiferum tormenta imitantia fulmen
158 corripiunt, Vulcane, tuum, dum Teutonas armas,
159 inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
160 Nec mora, signantes certam sibi quisque volucrem,
161 inclusam, salicum cineres, sulphurque, nitrumque,
162 materiam accendunt servata in reste favilla.
163 Fomite correpto diffusa repente furit vis
164 ignea circumsepta, simulque cita obice rupto
165 intrusam impellit glandem : volat illa per auras
166 stridula : et exanimes passim per prata jacebant
167 dejectae volucres : magno micat ignibus aer
168 cum tonitru, quo silva omnis, ripaeque recurvae,
169 et percussa imo sonuerunt aequora fundo.
170 Pars avium nemus in densum conterrita, et altos
171 se recipit scopulos : quorum de vertice summo
172 horrendum una canit (dictu mirabile) et aures
173 terrificis implet dictis, ac talibus infit.
174 "Qui Solis violatis aves, sacrasque volantes,
175 Hesperii, nunc vos, quae magnus cantat Apollo,
176 accipite, et nostro vobis quae nuntiat ore.
177 Vos quamquam ignari, longum quaesita, secundis
178 tandem parta Ophyrae tetigistis litora ventis.
179 Sed non ante novas dabitur summittere terras,
180 et longa populos in libertate quietos,
181 molirique urbes, ritusque ac sacra novare,
182 quam vos infandos pelagi terraeque labores
183 perpassi, diversa hominum post proelia, multi
184 mortua in externa tumuletis corpora terra.
185 Navibus amissis pauci patria arva petetis,
186 frustra alii socios quaeretis magna remensi
187 aequora : nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
188 Ipsa inter sese vestras discordia puppes
189 in rabiem ferrumque trahet : nec sera manet vos
190 illa dies, foedi ignoto quum corpora morbo
191 auxilium silva miseri poscetis ab ista,
192 donec paeniteat scelerum". Nec plura locuta
193 horrendum stridens densis sese abdidit umbris.
194 Ollis ossa rigor subitus percurrit, et omnis
195 palluit, ac gelida fugit formidine sanguis.
196 Tum vero sacras volucres, divosque precati,
197 in primis Solem, et sanctum servantia lucum

198 Numina supplicibus venerantur agrestia votis :
199 Pacem orant, rursumque Ophyren, fluviumque salutant.
200 Interea e silvis nigrum genus ora comasque,
201 ad naves nova turba virum concurrit inermis,
202 pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
203 paciferis : tanta qui celsas mole carinas
204 mirati, vestesque virum, fulgentiaque arma.
205 Vix satis expleri possunt : et ab aethere missi
206 sive homines, sive heroes sint, sive Deorum
207 Numina, adorantum ritu, precibusque salutant :
208 ante alios ipsum regem, cui munera laeta,
209 e ripis collectum aurum, et cerealia dona,
210 et patrios fructus, et mella liquentia portant.
211 Vestibus ipsi etiam nostris, et munere multo
212 donati, exceptique mero nova gaudia miscent.
213 Non aliter, quam si mensis, dapibusque deorum
214 mortalis quisquam adscitus, felixque futurus,
215 hauriat aeternum, caelestia pocula, nectar.
216 Ergo, ubi amicitiae securos foedere utrimque
217 firmavere animos, habita et commercia gentis,
218 ipsi inter sese reges in litore laeti
219 complexu jungunt dextras, et foedera firmant.
220 Alter gossipio tenui pectusque femurque
221 praecinctus, viridi limbum pingente smaragdo,
222 ora niger : jaculo armatur cui dextera acuto,
223 squamosi spolium sustentat laeva draconis.
224 Alter at intexto laenam circumdatus auro,
225 quam subter rutila arma micant, capiti aerea cassis
226 insidet, et pictae volitant in vertice cristae :
227 fulgenti ex auro torques cui candida colla
228 cingunt, atque ensis lateri dependet Iberus.
229 Et jam commixti populi, hospitioque recepti,
230 hi tectis domibusque, altis in navibus illi,
231 laetitia ludisque dies per pocula ducunt.
232 Forte loco lux festa aderat, solique parabant
233 ultori facere umbroso sacra annua luco.
234 Hesperiaequae, Ophyraequae manus convenerat omnis.
235 Hic convalle cava, ripae viridantis in herba,
236 selectorum ingens numerus, matresque virique
237 confusi, plebs atque patres, puerique senesque,
238 astabant, animis tristes, et corpora foedi,
239 squallentes crustis omnes, taboque fluentes :
240 quos circumfusos albenti in veste sacerdos
241 Pura lustrat aqua, et ramo frondentis Hyaci.
242 Tum niveum ante aras caedit de more juvencum,
243 et juxta positum pastorem sanguine caesi
244 respergit, pateraue rigat : solique potenti
245 ad numeros paeana canit : nec cetera turba
246 non sequitur, mactantque sues, mactantque bidentes,
247 visceribusque veru tostis epulantur in herba.
248 Obstupuit gens Europae ritusque sacrorum,
249 contagemque alio non usquam tempore visam.
250 At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,
251 "Hic erat ille," inquit, "morbus, (dii avertite casum)
252 ignotum interpres Phoebi quem dira canebat."
253 Tum regem indigenam, (ut sermo fandique facultas

254 jam communis erat) cui sint solemnia Divum,
255 scitatur : quid tanta astet convalle sub alta
256 languentum miseranda manus : quid pastor ad aras
257 sacra inter, caesi respersus sanguine tauri.
258 Quem contra, "Hesperiae o heros fortissime pubis,"
259 rex ait, "hi gentis ritus, haec sacra quotannis
260 ultori de more Deo celebramus : origo
261 antiqua est, veteresque patrum fecere parentes.
262 Quod si externorum mores, hominumque labores
263 audivisse juvat, primaeva ab origine causam
264 sacrorum, et pestis miserae primordia pandam.
265 Forsitan Atlantis vestras pervenit ad aures
266 nomen, et ex illo generis longo ordine ducti.
267 Hac et nos, longa serie, de stirpe profecti
268 dicimur, heu quondam felix et cara Deum gens,
269 Dum caelum colere, et superis accepta referre
270 majores suevere boni : sed, numina postquam
271 contemni coeptum est luxu fastuque nepotum,
272 ex illo quae sint miseros, quantaeque secutae
273 aerumnae, vix fando umquam comprehendere possem.
274 Insula tum prisca regis de nomine dicta
275 ingenti terrae concussa Atlantia motu
276 corruit, absorpta oceano : quem mille carinis
277 sulcavit toties, terrae regina marisque.
278 Ex illo et pecudes, et grandia quadrupedantum
279 corpora, non ullis umquam reparata diebus
280 aeternum periere : externaque victima sacris
281 caeditur, externus nostras cruor imbuat aras.
282 Tum quoque et haec infanda lues, quam nostra videtis
283 corpora depasci, quam nulli aut denique pauci
284 vitamus, Divum offensis, et Apollinis ira
285 de caelo demissa, omnes grassatur in urbes.
286 Unde haec sacra novo primum solemnia ritu
287 instituere patres, quorum haec perhibetur origo.
288 Syphilus (ut fama est) ipsa haec ad flumina pastor
289 mille boves, niveas mille haec per pabula regi
290 Alcithoo pascebat oves : et forte sub ipsum
291 solstitium, urebat sitientes Sirius agros :
292 urebat nemora : et nullas pastoribus umbras
293 praebebant silvae : nullum dabat aura levamen.
294 Ille gregem miseratus, et acri concitus aestu,
295 sublimem in Solem vultus et lumina tollens,
296 "Nam quid, Sol, te," inquit, "rerum patremque deumque
297 dicimus, et sacras vulgus rude ponimus aras,
298 mactatoque bove, et pingui veneramur acerra,
299 si nostri nec cura tibi est, nec regia tangunt
300 armenta ? An potius superos vos arbitrer uri
301 Invidia ? Mihi mille nivis candore juvencae,
302 mille mihi pascuntur oves : vix est tibi Taurus
303 unus, vix Aries caelo (si vera feruntur)
304 unus, et armenti custos Canis arida tanti.
305 Demens quin potius Regi divina facesso ?
306 Cui tot agri, tot sunt populi, cui lata ministrant
307 aequora, et est superis, ac Sole potentia major ?
308 Ille dabit facilesque auras, frigusque virentum
309 dulce feret nemorum armentis, aestumque levabit."

310 Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras
311 instituit regi Alcithoo, et divina facessit.
312 Hoc manus agrestum, hoc pastorum caetera turba
313 exsequitur : dant thura focis incensa, litantque
314 sanguine taurorum, et fumantia viscera torrent.
315 Quae postquam rex, in solio dum forte sederet
316 subjectos inter populos, turbamque frequentem.
317 Agnovit, Divum exhibito gavisus honore,
318 non ullum tellure coli, se vindice, numen
319 imperat, esse nihil terra se majus in ipsa :
320 caelo habitare Deos, nec eorum hoc esse, quod infra est.
321 Viderat haec, qui cuncta videt, qui singula lustrat,
322 Sol pater, atque animo secum indignatus, iniquos
323 intorsit radios, et lumine fulsit acerbo.
324 Aspectu quo Terra parens, correptaque ponti
325 aequora, quo tactus viro subcanduit aer.
326 Protinus illuvies terris ignota profanis
327 exoritur. Primus, regi qui sanguine fuso
328 instituit divina, sacrasque in montibus aras,
329 syphilus, ostendit turpes per corpus achores.
330 Insomnes primus noctes, convulsaque membra
331 sensit, et a primo traxit cognomina morbus,
332 syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
333 Et mala jam vulgo cunctas diffusa per urbes
334 pestis erat, regi nec saeva pepercerat ipsi.
335 Itur ad Americen silva in Cartheside nympham,
336 cultricem nemorum Ammericen, quae maxima luco
337 interpres Divum responsa canebat ab alto.
338 Scitantur, quae causa mali, quae cura supersit.
339 Illa refert : "Spreti vos o, vos numina Solis
340 exercent : nulli fas est se aequare Deorum
341 mortalem : date thura Deo, et sua ducite sacra,
342 et numen placate, iras non proferet ultra.
343 Quam tulit, aeterna est, nec jam revocabilis umquam
344 pestis erit : quicumque solo nascetur in isto,
345 sentiet, ille lacus Stygios, fatumque severum
346 juravit. Sed enim, si jam medicamina certa
347 expetitis, niveam magnae mactate juvencam
348 Junoni, magnae nigrantem occidite vaccam
349 telluri : illa dabit felicia semina ab alto :
350 haec viridem educet felici e semine silvam :
351 unde salus." Simul obticuit, specus intus, et omne
352 excussum nemus, et circumstetit horror ubique.
353 Illi obeunt mandata : sua ipsi altaria soli
354 instituunt : niveam Juno, tibi magna juvencam,
355 nigrantem, Tellus, mactant tibi maxima vaccam.
356 Mira edam. (At divos juro, et monumenta parentum)
357 haec sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
358 ante solo numquam fuerat quae cognita in isto,
359 protinus e terra virides emittere frondes
360 incipit, et magna campis pubescere silva.
361 Annua confestim soli facienda sacerdos
362 ultori nova sacra canit. Deducitur ipse
363 sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
364 syphilus : et jam farre sacro, vittisque paratis
365 purpureo stabat tincturus sanguine cultros :

366 tutatrix vetuit Juno, et jam mitis Apollo,
367 qui meliorem animam miseri pro morte juvenum
368 supposuere, feroque solum lavere cruore.
369 Ergo ejus facti aeternum ut monumenta manerent,
370 hunc morem antiqui primum statuere quotannis
371 sacrorum, ille tuum testatur, Syphile, crimen,
372 victima vana, sacras deductus pastor ad aras.
373 Illa omnis, quam cernis, inops miserandaque turba
374 tacta Deo est, veterumque luit commissa parentum.
375 Cui votis precibusque piis numerisque sacerdos
376 conciliat vates Divos, et Apollinis iras.
377 Lustrati ingentes ramos, et robora sanctae
378 arboris advectant tectis : libamine cujus
379 vi mira infandae labis contagia pellunt."
380 Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
381 diversis populi commixti e partibus orbis.
382 Interea, Europae fuerant quae ad cara remissae
383 litora, jam rursus puppes freta lata remensae
384 mira ferunt : late (proh fata occulta deorum)
385 contagem Europae caelo crebrescere eamdem,
386 attonitasque urbes nullis agitare medelis.
387 Quin etiam gravior naves it rumor in omnes,
388 illo eodem classem morbo, juvenumque teneri
389 haud numerum exiguum, et totis tabescere membris.
390 Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres,
391 affore, quum silva auxilium poscatur ab illa,
392 Continuo faciles Nymphas, Solemque precati,
393 intacti nemoris ramos, et robora ab alto
394 convectare parant luco, medicataque sumunt
395 pocula, pro ritu gentis : quo munere tandem
396 contagem pepulere feram. Quin dona deorum,
397 haud patriae obliti, et felicem ad litora silvam
398 nostra jubent ferri, caelo si forsitan isto
399 assimilem pellant labem : nec fata secundos
400 ipsa negant Zephyros, facilisque aspirat Apollo.
401 Munera vos Divum primi accepistis Iberi,
402 praesens mirati auxilium : nunc cognita Gallis,
403 Germanisque, Scythisque, orbe et gavisus Latino
404 jam nunc Europam vecta est Hyacus in omnem.
405 Salve magna Deum manibus sata semine sacro,
406 pulchra comis, spectata novis virtutibus arbor :
407 spes hominum, externi decus, et nova gloria mundi :
408 fortunata nimis, natam si numina tantum
409 orbe sub hoc, homines inter gentemque deorum
410 perpetua sacram voluissent crescere silva.
411 Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musae
412 ferre per ora virum poterunt, hac tu quoque parte
413 nosceris, caeloque etiam cantabere nostro.
414 Si non te Bactra, et tellus extrema sub Arcto,
415 non Meroe, Libycisque Ammon combustus arenis,
416 at Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
417 audiet, et molles Athesi labente recessus.
418 Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam
419 interdum leget, et referet tua nomina Bembus.

...



Girolamo Fracastoro

Tiziano